

Hoc autem non esse verum, tam facile est cuique cognoscere, ut facilius nihil. Illud vero prius, cum apud utrosque viros hosce in Cypro legissem, cum inde anno MDLXVIII navigatione redirem, inter Creticum et Ægyptium, freto medio cum mare staret placidissimum, nec itineris tantillum navis conficeret, nullo spirante vento, experiri libuit, vase cattiterino eiusmodi, quale ipse describit, fu-ni longissimo alligato, quem nautæ, scandaglium vocant, et altero levioere funiculo, operculo accommodato, ita ut attractus illud aperire posset. Itaque manibus propriis utrumque funem in mare demissimus. Vas cum plumbo Pilotico, sensim ad fundum pervenit altissimum, passuum scilicet CXLVII. Cum sensi terram tenere, minorem funem traxi, operculum reseravi. Extraximus opertum, mari plenum, salso amaroque, haud maiore salsedine vel minore, quam quod in superficie positum, vase alio gustabamus comparando. Testes huic rei nautarum non paucos adhibuimus, et navigantium aliquot. Inter quos Philippum Mocenicum, quem honoris et perpetuitatis rei causa nomino, tunc Cypri Archiepiscopo Primate. Mare ergo totum quantum est, salsum amarumque est. Neque ipsum pluvix, aut exhalationes sicca ullæ pluviis admistæ, amarum aut salsum reddunt, aut reddere queunt. At amaror hic, natiuus ne illi est, an adventitiuus? Causam enim Aristoteles requirit λεκτέοντις ἢ αἰτία. Ea ipsa causa est, quam et ipse posset reddere, cur ignis calidus sit, aer tenuis, terra solida. Quorum si nullam reddere ipse potest, et in igne etiam vetuit aliquando inquirere, cur esset calidus, liberis nobis concedat, si parem ipsi reddiderimus, hoc est nullam: præter eam unicam, potentissimamque et verissimam: quia amarum nimirum in rerum primordio, a Conditore summo conditum mare est. At cur tale ab eo factum est, et non potius dulce atque potabile? Causam afferemus nos, quam ipse fortasse reddere, aut nequiret, aut nesciret. Salsum quidem mare opifex rerum summus, ab initio condidit, ob hanc unam finalem causam summam, ut corpulentius ac crassius, et terrestrius, densiusque efficeret τὸ γεῶδες hoc, in mari etiam Aristoteles agnovit, terrestrius scilicet esse quam dulces aquas. Crassities postea hæc, ut multis usibus, natura foret. Inter quos ille præcipuus, ut facilius in se, et consisteret, et coiret, et tenacius esset, ne totam nimirum operiret terram. Et animantibus hominibusque vivendi locum, et habitaculum præstaret. Alius usus, ut ea crassitie et viscositate comode pondera sustineret: quæ Conditor præviderat, homines navibus per æquora vecturos, ut sibi mutuo, qui longius distarent, opitulari possent, et comoditati eximix alteris alteri essent. Præterea, ut minore opera in se posset concrecere; ex qua concretione, fœcundius, et ad rerum procreationem esset aptius, et plantarum innumerarum specierum, lapidum, Zoophitorum, animaliumque foecundissimum efficeretur. Unde et Orpheus concretilem undam mare vocavit.

Κύματι ρέναισθω παγερῶ βαρυηχέος ἄλμης.

“Unda irroret concretili, grave sonantis maris.”

Qua ratione Oceanum omnium genitorem vocat.

Ωκεανὸς, ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται.

Ωκεανὸς πρῶτος, καλλιρῶου ἦρξε γάμοιο

Ὅσρα κασίγνητην ὁμομήτορα τηθὺν ὄπυιεν.

“Oceanus qui, generatio omnibus est factus.

Oceanus primus, pulcrifluas cœpit nuptias.

Qui sororem uterinam Tethyn iniit.”

Quibus quidem carminibus, docere voluit, nullius rei generationem fieri posse, sine Oceani aquis, et iis quidem sasis. Sal enim omnium rerum semen esse primarium alibi ostendemus. E semine etiam omnia ortum ducere, non est difficile persuasum. Mare autem facile in se coire, et corporescere et densescere, sales ex eo concreti indicant aperte, et quod Scaliger asserit, spautam, Hyrcani partem ad quingentos interdum passus prope litus in salem concrecere. Non tamen exurere ut Strabo dicit, Gallum militem qui ibi fuit, retulisse. Ostendemus autem postea nos, quæcumque in mari tam variarum specierum fiuntex maris concretione fieri. Præterea salsum factum est mare ideo, ut terram subiens in